ORATIO FUNEBRIS
IN
EXCESSUM
SERENISSIMI AC AUGUSTISSIMI
PRINCIPIS
ULADISLAI
IV[ti].
D. G. REGIS POLONIARUM.
MAGNI DUCIS LITHUANIÆ, RUSSIÆ, PRUSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆ, SMOLENSCIÆ, CZERNIEHOVIÆ, &c.
NEC NON
SUECORUM, GOTHORUM, VANDALORUMQUE HEREDITARII REGIS.
Habita publicè in Illustrissima Lugdunensi Batava Academia
A
HIERONYMO GRATO DE MOSKORZOW MOSKORZOWSKI. *Equite Polono.*
ANNO DOMINI MDCXLVIII. Die XXXI Octobris.

LUGDUNI BATAVORUM,
Excudebat
VVILHELMUS CHRISTIANI BOXIUS. 1648.

SERENISSIMÆ POTENTISSIMÆ

LVDOVICÆ MARIÆ GONZAGÆ.

POLONIARVM SVECIÆQVE

REGINAE

AVGVSTISSIMÆ.

MANTVÆ NIVERSIÆ, &c.

PRINCIPI.

DOMINÆ SVÆ CLEMENTISSIMÆ.

QVem triumphatorem, & centum adoreis coronatum nobis jam ab aliquot mensibus mors eripuit, ut cœlo redderet; hunc Tibi Amantissimum Conjugem restituo. REGINA AVGVSTISSIMA. ULADISLAVM videlicet nostrum ac Tuum, qui Augustam nuper animam exhalare non potuit, nisi in commendatione Tuæ virtutis. Vtinam tantum REGEM tantæ REGINAE, hoc est, Maritum Conjugi, ULADISLAVM suæ LVDOVICAE MARIAE non efferrem mortuum, sed offerrem potius victoria de rebellibus reportata, à devictis Cosaccis reducem; ut hæc pulla, quæ Te circumdat vestis in trabeam, iste luctus in gaudium mutaretur! non in tam acerbo funere lugeres afflicta, squallida, sine REGE, sine COMPARE, sine CONJUGE: non fleret Senatus, squalleret Aula, Thalamus REGIUS lamentaretur. Verum, ô sortem humanam! hic est indomabilis mortis omnibus imminentis furor, ut REGIBUS etiam invictissimis insidietur.

Vna cum REGE omnia nobis perierunt; In tanta tamen rerum jactura, unum habet mœrens Polonia

Polonia quo se aliquantulum consoletur. Dimidium tanti PRINCIPIS *possidet* LUDOVICAM MARIAM REGINAM *suam, cujus in oculis conquiescit. Tu vero mœstissima* REGINARUM, *nihil habes quod supersit ex tanto* MARITO, *præter memoriam immortalium facinorum triumphalem: mihi igitur altissimo mœrori nunc immersæ nihil potui tempestivius exhibere in aliquod doloris solatium & perpetuam mei obsequii significationem, quam illius nostri* IMPERATORIS *redivivam imaginem, qui Moschovitas toties attrivit, Othomannos fregit, Tartaros profligavit. Hanc in celeberrima Lugdunensi-Batavorum Academia atratus dixi. Sed dixi sine pompa, sine verborum lenocinio, sine calamistris: Lamentabar enim, non perorabam. Qui meum stylum jacere dixerit, mihi gratulabitur. Ex quo enim jacet noster Hercules, amat magis sordere in pulvere, quam florere, Iaceat ergo, dum in sepulchro jaceat* ULADISLAI.

Interim excipe, PRINCEPS GENEROSISSIMA, *eo quo soles vultu subditorum officia, lachrymas munerarias, & munus lachrymo-*

 sum:

ſum: & dum vel legeris, vel audiveris Monarcham tantum, tamque Auguſtum, de tot populis triumphaſſe; perpende animo, Te non tam amiſiſſe Conjugem, quam in cœlum præmiſiſſe. Mori non poteſt, qui Tuis & noſtris in viſceribus vivit. Vale, & Te nobis ſerva multos in annos, incolumem AUGUSTISSIMA & MOESTISSIMA REGINA.

SERENISSIMÆ MAJESTATIS TVÆ.

Servus, ſubditus, & cliens
fidiſsimus, humillimus.

HIERONYMVS GRATVS DE MOSKORZOW MOSKORZOWSKI.

ORATIO FUNEBRIS
IN OBITUM
INVICTISSIMI
ULADISLAI IV^ti^,
POLONIÆ, SUECIÆQUE
REGIS.

MAGNIFICE ACADEMIÆ RECTOR, ILLUSTRIS AC GENEROSE DOMINE BARO KINSKI, CLARISSIMI PROFESSORES, VIRI, QUOTQUOT ADESTIS, GENERE, ORDINE, DIGNITATE SPECTATISSIMI, AMPLISSIMI, TUQUE ILLUSTRIS, GENEROSA, ET NOBILISSIMA STUDIOSÆ JUVENTUTIS CORONA.

HAbet trabeata maximorum Regum fortuna ſuos gradus: Poſteaquam pervenit ad ſummum verticem ad ima delabitur, & quanto majus ex alto præcipitium eſt, tanto ſapientius ruina timetur. Sol

ipſe

ipſe aſtrorum dominus, radiis quantumvis auguſtioribus coronetur, Ecclypſim patitur; & nitidiſſimas ſæpe dies improviſa tempeſtas obvelat; vota Principum ultra mortalitatem ſæpius elata ſubitò concidunt: Summos enim rerum Dominos cæteris mortalibus mortalitas exæquat, ſtivis thiaras commiſcet, efficitque ut qui ſplendebant in purpura, putreſcant mortui in ſepulchro, qui fatalem gladium cæde tot populorum ſatiaverant, putrido cadavere ſaturent vermes, & quos Orbis capere non potuit, hos quatuor pedum contineat urna. Vtinam dura neceſſitas Auguſtum Principem non proponeret in Exemplum. Uladislaum Quartum Poloniæ Sueciæque Regem, in quo uno natura pariter ac fortuna, quæ in aliis reperiuntur, omnia ita conjecerat, ut in Templo, Sacerdote purior, in Repub. Rege potentior; in ſententia dicenda, Senatore gravior; in Exercitu pluſquam Imperator, in acie, ſupra militem Miles; in tuenda Civili Libertate, Cive quolibet acrior; in tota denique

vita,

vita, plusquam Philoſophus eluceret. Hic inquam, ipſius Bellonæ uberibus nutritus Heros, poſteaquam Boriſtenem, Tyram, Volgam, & Tanaim ſub jugum miſiſſet, & ad Mæotidem paludem, glacialemque Oceanum, ad cingulum Terræ, & adorantes Auream Anum populos, feliciſſimis trophæis perveniſſet, quinimo per Caſanenſes, & Aſtrahanios ad Caſpium uſque mare, & ipſius Perſiæ fines, Polonicis, id eſt, fulminantibus armis penetraſſet, proch dolor! intempeſtivâ morte præreptus, momento ille, qui glorioſus fuit, eſſe deſiit. Concidit fortiſſimum illud Chriſtiani nominis Propugnaculum, robuſtiſſimum Europæ Præſidium, deſideratiſſimus Patriæ Pater. Atque ex hoc tanto Hercule, ſupereſt pulvis, ex tanto Alexandro, reſtat umbra, & ille, qui altera manu Septemtrionem, Orientem altera premebat, in pulverem concidit, & nunc cinis eſt, umbra, & nihil.

Iacet tota informi luctu ſquallens Polonia, ac circumſpicit eum, cujus in ſinu tam placi-

de requieverat. Plorat Lithuania, fiunt mali ac doloris compotes, Ruſſia, Pruſſia, Maſovia, cæteræque omnes Provinciæ, quæ vel ſponte eum pro Domino accepere, vel metu ac armis compulſæ, ſub Imperium ejus venere. O ſi mihi liceret videre vultus ac lumina Patriæ meæ dejecta, ſi publico ac ſolenni illi juſticio intereſſe daretur, ſi ad pullatam Concivium turbam ipſe atratus orator dicerem, denſior lachrymarum, quam verborum caderet imber! Hoc tam Auguſtum Funus & Magni Herois exequiæ, delubris clauſis, ſordidato vultu, ſciſsis veſtibus, everberatis crebro planctu pectoribus, ac externato propemodum animo celebrarentur; reſonarent lugubrem in modum per urbem campanæ, fulgurarent caliginoſo igne bellicæ machinæ, tympana pulſarentur, lugubres næniæ perſonarent, gemerent organa, perſtreperent omnia, ſtriderent ſingula, nec quæſitis ad excitandum mærorem verbis opus eſſet, ubi impotens luctus dominaretur. Nunc vero cum in terra me ſors poſuerit longius qui-

dem

dem à CæloPatriæ remotiori,ſed feliciori,quia ibi victrix ac dominatrix fortuna, altam nunc alit pacem, in terra videlicet triumphatrice, & niſi lætis tripudiis non exultante, alia mihi ratio ineunda eſt, ut poſſim tanto Principi hac, qualicunque animi mærentis ac lugentis ſignificatione parentare.

Hic itaque vobis ULADISLAVM IV^tum^. naſcentem, & ab incunabulis ſenſim ad gloriam aſſurgentem ponam ob oculos, ut ſciatis quem amiſſum lugeamus: Deinde eundem adoleſcentem, victoriis annos præcurrentem, & virtute prius promeritum, quam delatum Regnum capeſſentem, in medio ſiſtam, ut cognoſcatis, quantum Imperatorem deplorent Sarmatæ. Tandem Regem Auguſtiſſimum paci quam peperit indulgentem repentinoque præreptum fato, in hac mæſtiſſima luce deponam, ut conſtare vobis poſſit, cur tanto luctu fœdata jaceat Polonia.

Vos æquis animis recrudeſcentem ſubinde dolorem ſuſtinete.

Quod uſu venit ſtellifero Orbi & cognatis cælo ſideribus, ut eorum renaſcentes ortus & productæ redivivo lumine faces neminem lateant: idem Magnis Principum natalibus ferè accidit. Sed ut ſtellæ diverſis veluti regionibus radiant, & aliæ Auſtro notiores, aliæ familiariores Boreæ; ita præaltum genus Regium illi, cui imperat Orbi, maxime lucet. Noſtro Principi, ea felicitas & ſors naſcendi obtigit, ut ſplendor originis non intra eam tantum cui præfuit plagam conſiſtat, ſed uſquequaque latiſsimè diffundatur. Traxit enim ingentem illum & univerſo Orbi regendo parem ſpiritum, ex florentiſsima ac regnatrice Iagellonidum familia: quæ felici Regum germine ducentos & quinquaginta annos Poloniæ Regnum invidenda felicitate gubernans, ambitioſam Iuliæ familiæ gloriam, ex qua ſex quidem, ſed adoptione adſciti Imperatores fuêre, longè poſt ſe reliquit; dum Uladiſlaos Religioſiſsimos, Caſimiros Iuſtiſſimos, Albertos Bellicoſiſsimos, Alexandros Fortiſsimos, Sigiſmundos Auguſtos verè Auguſtiſ-

gustissimos Orbi dedit. Et licet non alios quam ipsum SIGISMVNDVM III peperisset mortalibus, semper Heros noster Augustis natalibus oriretur. Qualem Virum, Deus immortalis! quamque posteris venerandum SIGISMVNDVM! qui Hieremiam & Simeonem Principes Valachorum oblato vectigali in tutelam accepit, Rosuanam Transylvanorum Ducem castris exuit, Livoniam armis vindicavit. Longinquitate secretas ac penè incognitas gentes subegit. Smolenscum Civitatem à Moschis ultra centum annos, non bello, sed proditione nostris ereptam, ædificiis auctam, & validissimo ingentis arcis præsidio munitam, obsidione bienni delevit. Totam Moscoviam victoriis peragravit. Imperatorem Basilium cum Ioanne & Demetrio fratribus cepit, & ante solium provolutos pedibus exculcavit. Constantinopolim terruit subitis armis, suburbia incendit, sæpiusque Turcis Polonorum reverentiam incussit. Hic est ille Magnus Magni Filii Parens SIGISMVNDVS, iste Philippus qui

Magnum hunc Alexandrum genuit. Et ſi Matrem conſideremus, non illa minores Regiæ indolis igniculos addidit. Contulit enim concipiendo noſtrum Principem ei uni Filio, quidquid dignitatis, quidquid animi, Domus Auſtriaca, illa Cæſarum Mater, Majeſtatis Præſes, tot jam ſeculis, ſuis Imperatoribus impertivit. Quippe in eandem fortunam enixa Nobilem hunc Fætum, purpuræ ſtatim deſtinavit, ita ut Sol hominem ſimul Eum videret, & Principem. Non potuit ergo ULADISLAVS noſter, non regnatorem accepiſſe animum, qui ex Nobiliſsimâ Regum ſtirpe reciſus, felici traduce, non vitam modo, ſed fortunam quoque auſpicatiſsimam ſortitus eſt.

Quod ſi fidem damus explicanti ſe per præſaga omina naturæ, ut certè neceſſe eſt, tantæ magnitudini notabilibus ſignis ſidera præluſerunt: Quemadmodum enim Cyri, Alexandri Magni, & aliorum rariſsimæ felicitatis Regum eminentiam antequam ederet, ſignis natura prodidit: Ita Regis noſtri

fata,

ſata, adhuc in utero latentia, jam ſeſe prodebant: Cum enim Regina Mater ANNA Auſtriaca Caroli Archiducis Filia Sacratiſsimi Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris Soror, ex Invictiſſimo Glorioſiſsimæ Memoriæ SIGISMUNDO III. concepiſſet, toto conceptionis tempore, inſolitâ quadam Majeſtate vultus ita reſplenduit, ut grandius aliquid utero bajulare omnibus videretur. Imo Staniſlaus Radziejowski Palatinus poſtea, Lencicienſis, & Maximilianus Przerembski Caſtellanus Sieradienſis Graviſsimi Regni Senatores, abactis ſtipatoribus Regiis, quibus in more erat gravidam Reginam portare, id oneris ipſi ſubire voluerint, donec maturo partus tempore, expectatæ magnitudinis ac felicitatis pondus Reginæ viſceribus excluderetur. Vix excluſus eſt, cum ſtatim prodidit ſeſe in tenero, & adhuc â Matre rubenti corpuſculo, divina illa cæleſtis auræ particula, quæ tam concinnum ac nitidum domicilium inhabitabat. Nimirum non eodem omnes colore & fortuna ſumus: ſunt Magni quidam

Heroes, quos Divinæ naturæ radius non animat tantum, ſed etiam illuſtrat. Nullus in oculis torvor, ſed riſus, nulla in vultu nubecula, ſed inconcuſſa ſerenitas, nullus denique in corpore nævus, quicquid videras Gratiarum erat. Atque id ipſum cum inter Magnæ indolis argumenta habuerit olim ſapiens Stagirita, quid mirum, ſi læti Parentes, credula Reſpub. tanquam certâ conjecturâ, veneres deliciaſque Virtutum, ex tam pulchro corpore prodeuntium avidè colligerent.

Mox vero ut primum pulsâ infantili caligine ratio emergere cœpit, reſultabant jam paulatim ſcintillæ purioris lucis, cum Generoſa magis, quam puerilia, in dictis & factis, notarentur, ſolito majora in ipſis etiam luſibus percipiebantur, & aliquid Virile balbutire viſus eſt. Sic vegeto ætatis augmento teneritudinem eluctatus, cum annos Pueritiæ ingreſſus eſſet, adeſſetque illud tempus, quo in ſalo ac fluctu vitæ gubernatoribus indigeret, cæpit artium cultui capacem præbere animum, inſtruique iis diſciplinis, quibus ingenia

nia magnæ fortunæ ambitum ſubitura, ſolidantur. In hoc curriculo tantopere promovit, ut annis majora, & maturiora daret Parentibus ſpecimina. Quare congratulatus ſibi SIGISMUNDUS & tacito fortunam ſenſu adorans, admovit ei informando Viros non umbraticæ, ſed ſolidæ ſapientiæ conſultos, quorum conſortio ſemper aliquid affricaretur Virtutis ac Doctrinæ. Aderat quoque efficax in exemplum Pius Genitor in cujus quodammodo facie, Religio, Temperantia, Fortitudo, Modeſtia, & Regiæ virtutes omnes legebantur. In hujus Aula ludebat hic Aſcanius, ſub hujus oculis hic Hector creſcebat. Colligebat itaque felici conatu Noſter nitidiſsimos Virtutum paulatim Regiarum floſculos, & digniſsimas quaſque Auguſto Principe dotes, quas in domeſtico Senatu notarat, quaſque in optimo Parente viderat, in crepundiis pænè æmulabatur.

Robuſtior inde & animo & corpore factus, altiora ſuſpirare & non uno ſtudii tramite ad ſumma eniti cæpit. Sed ut natura

feracissimos campos & flavam Cereris faciem non una colorum venustate distinxit: Sic & ille partitis ad formulam vicibus, prudenti temperaturâ, nunc Animo vacabat, nunc Corpori. Quocirca domi tanquam in militiæ quodam proscenio, Martis tyrocinio initiabatur. Modo fixo corporis habitu ac inconcusso statu, gradum componere, modo contracti temporis compendio ensem rotare, quassatam immani pondere hastam vibrare, ictus adversos velocissimo motu elidere, denique præliantis perfectissimam imaginem dare; primum certe rudimentum bellicæ Virtutis, quo cæteros suæ ætatis Principes superavit. His præludiis seriæ bellorum palæstræ sese aptabat, ut cum sors exigeret, nullus labor insolitus, nullus locus asper aut arduus, non armatus in acie hostis formidolosus esset. Quodsi vero laudabili otio aliorum negotiorum intervalla dispungere allubescebat, tum sese Animus effundebat, modo in Linguarum cognitionem, & earum præcipuè quarum usus inter subditos esset frequentissimus

ſimus, modo in Hiſtoriam deſcendens, matureſcenti Virtuti exempla vel captabat quæ ſequeretur, vel parabat, quæ alii ab ſe addiſcerent: Et ita in omnibus canâ mente ſenes adæquabat, ut ſapientiâ præripuiſſe annos cenſeretur, quos natura promitteret. Iam adminiculis Imperatoriarum Virtutum ita inſtructus conſpiciebatur, ut maximam etiam fortunam videretur erectâ ac ſtabili cervice ſuſtinere potuiſſe: At quam ei tum fata viam ſternebant? Siquidem Moſchovitæ ex hoſtibus amici facti, Demetrium ſuum ſolio deturbarunt, & ULADISLAUM Principem XV annos natum, communi omnium ordinum calculo Magnum Moſchoviæ Ducem declaraverunt, Illum popoſcerunt unicum, & ut obtinerent, ſolenni formula Legatos ad Divum SIGISMUNDUM Patrem miſerunt, qui Adeleſcentulo Filio Imperium hoc Coronamque deferrent.

ULADISLAUS non tam novo honoris Titulo glorioſus, quam lætus dari ſibi materiam à fortuna novis Titulis Gloriam am-

plificandi, Moſchovitas (hoc eſt) mutabiles hos Protheos, qui ad perfidiam paulatim degeneraverunt, ſubacturus, cum lectiſsima militum manu Moſchoviam tanquam ſuam ingreſſus, ultricia tot paſſim per infidas Regiones, Sarmaticus hic Iuppiter ſparſit fulmina, ut non minus inſignis Fortitudo in admirationem quemque raperet, quam tot Arcibus, & Urbibus ſubrutis ac expugnatis, in ſtuporem videntes & audientes Felicitas conjiceret. Senſit gens neſcia fidei, quo turbine noſter Hercules iracundiam contorqueret, cum tot continuatis cladibus Imperium ſuum deformatum, cum nec in agris amplius pagos, nec in pagis (ſi quos error ac caſus integros ſervaverat,) homines reperiri: cum Urbes & oppida in ſolitudines abire, & immania vaſtiſſimarum Provinciarum buſta, tantum ſupereſſe dejecta videret. Ponite vobis ob oculos Aud: quæ tum in Iuvenili pectore diſcordantium affectuum pugna fuerit, cum hinc contemptim habitus honor, iram accenderet: illinc ſubmiſſa ſupplicum ora & terrarum vaſtitas, Clemen-

tiam

tiam exigerent. Cedere tamen Clementiæ maluit, quam indulgere furori: quia non tam ambitioni militabat, quam gloriæ. Macte hoc invidendo rerum gestarum auspicio ULADISLAE Princeps, qui & Fortitudine Fortunam Tibi parare potuisti, & prudenti temperatura aliis illam ipsam impertiri. Te Triumphi, Te niveis Gloria pennis ambiunt. Honori Magno Pompejo fuit, quod de Africa & Juba Rege Iuvenis & non dum Senator triumphavit. Tu Puer pænè adhuc de habitantibus ad Asiæ & Europæ continentem Moschis, Pompejo Magno ætate minor, Gloriâ Major triumphasti.

Premor hic, Aud: rerum subsequentium copia, plura præstat noster Callinicus quam dici possint. Quam vellem vos in illa arena ad spectaculum ingentis Miraculi constitutos in qua attoniti Sol & Orbis, duos Adolescentes ætate propemodum pares, vix lanugine primâ decoros ULADISLAUM Magnum Moschoviæ Ducem, & Osmanum Turcarum Imperatorem, septingentis bella-

torum millibus & quaſi generis humani viribus ſubnixum, ad Tyram in Valachia æmulos pugileſque conſpexit. Ubi anxio in utramque partem Mundo calcatâ Othomannici nominis gloria, tot ſe Virtutibus Noſter ſuperiorem oſtendit, quot Oſmanidæ millibus prævalebant. Ruebat tum innato tumore furens Oſmannus & in excidium Sarmatici nominis Aſiam pænè totam trahebat, jam torrentis inſtar raptabat copias. Extrema Poloniæ inſtare videbantur, & quemvis diem tanquam ultimum ſuſpirabat: circumſpiciebat tamen quem tantis periculis periturum potius, quam victurum objiceret. Ad Te unicum ULADISLAE, confugiendum fuit. Non reperiebatur alius vel felicitate celebrior, cui is campus, vel fortitudine probatior cui hic adverſarius deſtinaretur. Quo animo duxeris in hoſtem, quantâ prudentiâ locum caſtrorum elegeris, quantâ ſolertiâ non minus vallis & foſsâ, quam diſciplinâ muniveris, quâ diligentiâ ipſe ſtationes circumiveris, vigilias ambiveris, narrant omnes

miran-

mirantur universi: Vicisti satis est, & novus Sol adnascens Sarmatis Othomannicæ Lunæ faciem tot radiis obscurasti, ut Lumine Fortitudinis Tuæ, turpem illi contra naturæ Ordinem Ecclypsim causaveris.

Referrem nisi horreret animus, temporum illorum memoriam, quibus Invictissimus SIGISMUNDUS uni tantum morti potuit succumbere, nisi ipsum putatis in suo ULADISLAO fuisse superstitem. Rectore destituta navis, gravissimæ tempestatis turbinibus per vicina naufragio fata plurimum jactabatur. Videbatur pestiferum quoddam exotici Regiminis sidus castam animorum concordiam infecisse. Metuebatur contagium illius belli, quod flabello religiosæ malignitatis excitatum instar vivacis flammæ, non Germaniam modo tum recens, sed totam fermè, vel saltem potiorem Christiani Orbis partem, luctuosissimo incendio corruperat. Actum pænè erat de Libertate nostra, cujus æternam possessionem, integri Majorum mores, & niveus candor, per tot secula asseruerant.

rant. Stabant castra castris opposita, nihil nisi hostile ac truculentum portendebatur: Vnde quæso remedium? Ad Te iterum ULADISLAE suorum ipsorummet Civium furoribus scissa properavit Polonia, ut Cujus auxiliatricem Dexteram, in tot conclamatis antea malis experta fuerat, ejusdem Præsidium in desperatissimo casu rursus agnosceret: Generose certe & supra malevolorum expectationem feliciter: Perfecisti enim, ut hæc contumax simultatum Hydra ad Vultus Tui conspectum, tanquam ad oblatam Persei parmam obrigesceret. Tanta quippe tum antequam Rex esses pollebas authoritate apud Cives, ut solâ æstimatione Virtutis, sese Tibi submitterent, quanta major non potuit esse, apud subditos cum Rex esses. Non indigebas ergo emendicatis suffragiis, non obviis salutationibus, non potentiorum prensationibus, non sparsis hinc inde largitionibus, ad Diadematis honorem consequendum, ipsa Meritorum Tuorum cumulata in hanc Rempub. moles, ad illius Dignitatis apicem

Te

Te inferebat. Electo igitur omnium calculis Dignitatem novam gratulatus eſt Ferdinandus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Ludovicus Galliarum Rex novum Regem coluit, Philippus Hiſpaniarum laudavit, Ferdinandus Hungariæ, fovit, Chriſtianus Danorum ſuſpexit, omnes denique Europæ Principes tanto Diamate tanti Principis merita gaviſi ſunt coronari.

Cum nova dignitate creverant certamina, fædifragus à ſeptemtrione Moſchus Germanos ſimul & Anglos, Belgas & Suecos armaverat, non ſpiculis, non telis, aut inanibus Orientalium terriculamentis, ſed nitrato pulvere, glandibus ignitis, majoribus minoribuſque tubis. Europam dixiſſes univerſam his terroribus non Sarmatiam peti. Parte altera perfidus Turcarum Imperator ducebat Aſiam. Polonia tot hinc inde cincta cohortibus, trepidabat: Sed ULADISLAUS noſter in medio poſitus, & erectus ſub quolibet pondere, tunc maximè docuit terrarum Orbem, quid poſſit in ſummo periculo, ſumma Virtus. Atque adver-

ſus tantam inimicorum manum, vix quartâ copiarum inſtructus parte egredi, aleamque fortunæ experiri, non dubitavit. Temeritatem profectò dicerem, niſi Prudentiam, Virtutem, Felicitatem in utraque Victoria commendarem. Expugnavit ergo Moſchovitas ut Alexander minoribus copiis, deinde ut alter Georgius Caſtriotus exiguâ manu Turcarum immenſam multitudinem ſuperavit. Quid mirer primum, aut ultimum? Palluit tunc audax Theuto cum ad arbitrium Victoris tremenda quondam, nunc tremebunda deponeret arma. Sanguinem coloremque perdidit Gothus, cum victoris manum ſupplex exoſculaturus acceſſit. Concidit animo trux militari ferociâ Suecus, cum calcandas Regis pedibus pronas admovit cervices. Quæ, Deus Immortalis! fortunæ blandientis illecebræ, quæ digna Rege, digna Principe, digna ULADISLAO adorea & Laurus triumphalis? Sed Fortunam preſſis manibus tanquam lubricam tenens, eam moderationem ſervaſti, Princeps Auguſtiſsime, ut Te lætis non

extu-

extuleris, verum Clementiæ memor omnes Gloriæ Tuæ vivere voluisti, ut cum vincere scires, Victoria quoque Te uti posse ostenderes. Quis Moschovitarum post illos exercitus fractos, post illas externarum nationum vires debilitatas, moliri potuisset? quis illorum rebellium? non arma, non frontem ostendere ausus esset: Moscuam caput Monarchiæ non pulvere fumoque trepidam implevit, sed denuo in potestatem suam redegit.

Amurathes interim sitibundum sanguinis Christiani ab Oriente Monstrum, novam barbaræ gentis colluviem armatam, Poloniæ finibus immiserat. In aliam ergo Mundi partem ac plagam vocabatur noster Hercules, qui terribile hoc belli fulmen extingueret. Volitavit igitur per Podoliam noster Imperator, calentem adhuc Moschorum cæde ac sanguine exercitum secum ducens, ut obicem poneret insultanti belluæ. Bellum hostium potentia periculosum, mole & apparatu diuturnum, ab omnibus, vel ipso Rege præ-

ſumebatur. Sed, Oſtupendam & omni miraculo majorem Regis noſtri fortunam! Ad ipſius nominis adventum palluit Othomannicus vultus, & velut frigidâ ſuffusâ ſubducere ſeſe cæpit, conceptus intra præcordia calidiſsimi furoris ſpiritus. Fama bella conſtare, magno & recenti Regis ſui exemplo didicit tum Orbis Sarmaticus, cum videret immanem feram, ſine ſanguine, ſine pulvere, ſine congreſſu, exarmatam, pacis conditiones ultrò petere, & turpiſsimè ab ipſo Victore ſuſcipere. Quis nepotum noſtrorum credet, & Baſſam in gratiam Tui ſtrangulatum, & ſpecioſis Orientalium donis favorem Tuum propitiatum? Erubuit univerſus Oriens & in furorem converſo pudore, tanto motu concuſſus eſt, ut omnibus undis inexpiabilem infamiam, ſanguine Imperatoris ſui expiatam iret: Adeo verum eſt noſtrum Alexandrum ad eum apicem fortitudinis bellicæ perveniſſe, ut bella non tam armis, quam nominis terrore terminaret Quid de Suecis dicam? Loquitur id abunde

de Prusia, illa terrarum nostrarum, Pupilla. Provinciarum Decus, Regum Poloniæ inexhaustus Thesaurus, Regni Sarmatici Horreum & Apotheca, Hellesponti denique Cimbrici Dea, ab illorum manibus vindicata. Adeo ut superiorum Regum, & Magni Vitoldi terminos victoriarum progressu supergressus, jam Tua iterum Virtute securè Vistula, Tyras & Borysthenes, mare Balthicum Pontusque Euxinus navigarentur. Majore Tua Gloria quod nulla unquam felicitate corruptus, omnia in circuitu bella clementia finiveris. Hæc sunt Aud: Gloriosissimi Regis nostri in limitibus Asiæ Europæque gesta, quæ utriusque terminis nescia circumscribi, ad alios vagantur mundos, & ibi Nominis Tanti Gloriam spargunt, ubi latent potissima Christianitatis.

Hactenus Aud: Martem nostrum in Sago, nunc in Purpura siplacet intue amur; Non ego eum vobis Leonis exuvio tectum & toti terrarum Orbi formidandum, sed pudicâ Pallade coronatum, Dalmaticâque

veſtitum propono: Vt enim dies nocti, ſerenitas tempeſtati ſuccedit, ita pax bellum conſequitur, & Princeps depoſitis armis, in ſinu triumphorum placidè conquieſcit. Poſt compoſitum Orientem, Aquilonem triumphatum, clauſa bifrontis Iani repagula, ULADISLAUS, qui hactenus Regnum lauris ornaverat, oleis in poſterum implevit. Admodum Adoleſcens ita Patrem dilexit, ut à morte, quam aliquis intenderat furcifer, objectu & oppoſitu corporis liberaret: Sed Patriam non minus, quam Patrem adamavit. Quot enim ille moleſtias in exornanda hac Spartha ſua devoravit? quot pericula pro incolumitate ejus & integritate ſuſcepit, quod hoſtilium impreſsionum metuendos torrentes inhibuit, quam ſæpè Civium ſtrictos in mutuam perniciem mucrones, prudenti moderatione compeſcuit? Ea benignitate fuit ac indulgentia in Polonos, ut cum Civibus ſuis non aliter quam cum liberis Parens viveret; aditus nullâ ſtipatorum caterva obſeſsi, latera nullis militum prætorianorum agminibus ma-

gis

gis quam amore munita, ire, redire, ſine horrore, ſine periculo, & in Regia tanquam in communi domo verſari, licebat omnibus. Non occurſus ejus aut aſpectus velut malignus Cometes obvios percellebat, ſed potius tanquam benignum aliquod ſplendeſcens ſidus, tacitâ influente gratiâ recreabat. Nulla ſuperbia in fronte aut ſuperciliis, nulla ira in oculis, quos natura ipſius manſuetudinis fecerat lampades, in toto habitu nulla ſævitiæ nota. Metum & diffidentiam ad eos relegabat, qui teſte ſcelerum conſcientiâ exagitati, tanquam culeoinſuti, parietibus & muris ſalutem ſuam tueri coguntur.

Sunt aliqui fortitudine in bello clari, ſed inglorii pacis artibus, alios toga conſpicuōs facit, ſed arma confundunt, nonnulli partam domi gloriam, foris, quidam foris partam, domi perdunt: in noſtro ULADISLAO tantus virtutum gloriæque concentus cernebatur, ut in eo nihil prudentiæ, audaciâ ac fortitudine, nihil majeſtati, humanitate, nihil gravitati, comitate, nihil clementiæ,, ſeveritate

nihil

nihil denique constantiæ, hilaritate decederet. Si consilii mei esset, expressam vobis Virtutum illius effigiem dare, consiliorum optimam moderatricem Prudentiam laudarem. Principi tanto non defuit ars, & quâ Civem regeret, & quâ hostem vinceret, & quâ cæteris Regibus præluceret. Prudentibus sanè consiliis effecit, ut gens generosa, & quidvis potius, quam Dominum pati sueta, lene frænum acciperet, quo voluntarii redigerentur sub obedientiæ gyrum. Iisdem, hostium assultus sibi, & Regno suo infestos, vel elusit, vel fregit. Quid dicam, tot Hydras discordiarum ab extremis cervicibus recisas? quid suppressos in herba prurientium ingeniorum, & semper novandis potius, quam regendis rebus, deditorum conatus? quid elisos ipsi invidiæ dentes? Si pergendum in enarrandis virtutibus, Humanitatem ac Comitatem non omitterem, quæ Regi nostro adeo familiares fuerunt, ut tanquam innatæ viderentur. His enim tantum Sarmatas alios supergressus est, quantum ipse dignitate

supra

ſupra cæteros eminebat. Nam cum utilem ſe efficere Civibus ſuis, mortalibuſque univerſis propoſuiſſet, non tam paratus erat frui ſua ope volentibus, quam obvius, nunquam contractâ fronte cuiquam rugoſus, ſed lenis ſemper ac lætus apparere. Quid de ea virtute dicam quæ Imperatores Deo ſimiles facit, Liberalitatem dico, virtutem Principum, & Principem Virtutum, cum alias omnes poſſideret ULADISLAVS, illam tanquam ſolam habebat & ſtudioſiſſimè exercebat; Alii Principes, qui magis libidine, quam judicio regnant, multum liberales videri volunt, dum non auferunt, dum non nocent, quamvis nihil proſint, nihil largiantur. De noſtro dictum eſt, perdere eum ſcire, donare neſcire, adeo in munificentiam effundebatur. Hoc teſtantur Xenodochia quæ reditibus locupletavit, hoc Ædes Publicæ & Capitolia quæ erexit, hoc Academiæ, quas Privilegiis auxit, hoc omnes literati, quos adeo fovit, ut annulos aliquando ſibi è digitis detraheret, quo Doctores hac Regia liberalitate ac ſuffragio ornaret.

Hæc fuere tranquilissimæ illius pacis quam nobis pepererat ornamenta: Cum Polonia tanquam circumfusus vasto mari scopulus, circumcirca ferventes bellorum tumultus securè spectavit. Audiebat undiquaque æris & tubarum sonitus, sed non expavebat; videbat cruorem mutuæ cædis per communes fluminum alueos terris suis invectum, sed sine periculo & impunè; accipiebat horrendas clades, & quasi è vicinia cadentium gemitus exaudiebat, non exhorrescebat tamen. Cum tota bello Europa arderet, vicina Germania motibus concuteretur, continuatis cædibus, & infandâ tot bustis strage exhauriretur, nos in almæ pacis gremio tuti recumbebamus, nullos hostes, omnes amicos habuimus. Liberi admodum commeatus, tutæ viæ, navigationes certæ, latronis abominandum nomen ignoratum est. Rex metuebatur à malis, amabatur à bonis, colebatur à cunctis, omnia tuta, omnia quieta, pacata omnia, quia patrem Patriæ vivum ac spirantem colebamus.

Invidit nobis tantam felicitatem crudelissima

lissima mors, quæ Regibus ipsis quasi saxum Tantalo semper impendet. Arx munitissima ULADISLAUS fuit, ad illum expugnandum, infinita morborum acies conducitur, non audet hæc mundi triumphatrix Megæra Victorem tantum, una solum parte crudeliter adoriri, hunc undequaque ferox aggreditur, manus & pedes lapidosa podagra constringit, ne se expediat, renes calculus premit, ut præ dolore fatiscat, tormina ventris discrutiant ut succumbat: sed nihil agis adhuc, nihil moliris impia, quod ille non patiatur, planeque vincat. Tot morborum equuleis divexatus expugnari non potest illius Virilis animus, equum simul domat & morbum, & dum per interspiria dolorem fatetur, se malis superiorem ostendit: jaculum contorquet in feras, venatione pererrat saltus, si quo modo possit vitæ insidiantem eludere. Sed pro dolor! ut mors tantum Heroa vidit se non posse uno veluti telo conficere, multitudine morborum oppressit. Ex venatione igitur reducem, in ignobili Mestricii vico affixit lectu-

lo, jacentem & proſtratum de induſtria invadit, quia ſtantem non auſa fuiſſet aggredi; inermem occupat, & exutum ea framea, quâ in Moſchovitas & Othomannos fulminaverat, quoniam armatum reformidabat. Quid agis ferociſsima mors? quid in unum tantam morborum cohortem educis? Fortiſsimus Imperator niſi legionibus non vincitur, non cedit niſi protrudatur. Generoſam ac Regiam vocem Libitina furens extimuit, quamobrem Principi ad tempus præcidit loquelam, ut ille, de quo ventura in æternitatem loquetur poſteritas, conticeſceret, & nos poſtremo morientis alloquio defraudaremur: Tamen vicit Imperator, nec ſuſtinuit à ſuis abire, quin ſenſim abituriens, noviſsima verba, tanquam Oracula æternùm memoranda promeret.

Accepiſti, LUDOVICA MARIA, ab Amantiſſimo Conjuge irrefragabile documentum amoris: vidiſti, quam non tenerrimè Te tantum diligeret, ſed deperiret: Qui cum carnifices corporis morbi, animam in confinio mortis

ac vitæ, librato dolore suspenderent, Te tutelæ patrocinioque Reipub: commendavit, ut evaderet certum omnibus, quam Te præ rebus cæteris adamaret. Non erit, crede mihi, ULADISLAE non erit vana apud nos plena æquitatis postulatio, non surdis accipietur auribus postrema hæc Tua vox, cui pretium Maritalis amor fecit. Amabimus LUDOVICAM MARIAM Reginam nostram Serenissimam, sicut Te amavimus, & fervidius amabimus eam, cum jam Te præsentem amare non possumus. In eam geminatus redundabit amor, eoque cumulatiùs, quo & Tu eam impensiùs dilexisti, & nos Te dilexisse non meliori documento probare possumus. Scimus, quantum Regibus nostris debeamus, quantum item Reginis; Regum amorem, ex meritis ipsorum metimur, Reginarum, ex Regibus ipsis.

Didicistis & vos Augustissimi Principes, CASIMIRE IOANNES, & CAROLE FERDINANDE, quo erat erga Vos animo Frater Amantissimus, cum jam moriturus

Mundo, oriturus Cælo, pro dignitate Vestra singulari mentis inclinatione apud Cives suos intercessit, idque flagitavit unicè ne â Regni possessione excluderemini, sed in tam Augusta Familia Sceptrum Polonicum servaretur.

Audivistis Milites Fortissimi qui tot terras emensi, toties Invictissimum Principem secuti, tot laboribus toleratis hostes superastis, quo amore Vos prosequeretur moriens, cum petierit, ne præmiis & stipendiis defraudaremini, quæ propter gloriam & securitatem publicam, pulvere & cruore concreti, merueratis.

Audivistis ORDINES intellexistis Cives, sensistis Vrbes, novistis denique universi Poloni, quam caram imo quam vita sua cariorem habuerit rempub: vestram, qui in ipsa vitæ meta salutem publicam pro meta habuit, pro quâ tot labores exantlaverat, tot hostes vicerat, tot victorias reportaverat, tot bonis ac divitiis Provincias cumularat.

Pluribus plura suis aperuisset, sed cum vellet

vellet depromere una cum voce Augustam animam exhalavit. Occidit, qui detonuerat ultimus Mundi stupor; Provinciis, Regnis, Orbi mortuus est, qui Pontum navibus, terram copiis, mundum splendore sui nominis impleverat, decrevit hic magnus Imperator & factus est cinis, morbis succubuit Sarmatici Cæli unicus Atlas; quam non patietur Cælum Atlante subducto ruinam! quis dignus tanto oneri ferendo succedet Hercules? Ah crudelia nimis fata! itane Alexandros æquatis Banbalionibus, & Reges quosque Augustissimos vili plebeculæ commiscetis. Perdidimus inclyti Sarmatæ unum, & in uno periimus omnes, & cum uno perdidimus omnia. Regem amisimus cui parem non habuimus, ut in posterum habeamus vovemus, majorem vero non habere possumus, nec optamus. In tanto luctu publico, & acerbo vulnere, squallet Senatus, mœrent Vrbes, lugent Provinciæ, Orbis Sarmaticus plorat, nec spes ulla affulget miseris, quæ dolori tanto faciat medicinam. Nihil nobis

reli-

reliquum eſt, quam, quod immitis fortuna, dum omnia nobis eripuit, indulſit, juſtos lachrymarum imbres, quibus favillam quotidiè Regiam & Auguſtos cineres irroramus, ut ſi minus ſanguine, ſaltem lachrymis, Amantiſsimo Principi parentemus.

Supereſſet aliqua conſolatio, ſi parvulus aliquis ULADISLAUS ex LUDOVICA MARIA nobis in Aula luderet, ſi Princeps, qui ad feſtinatos nuper honores exoriebatur, adhuc viveret. Sed, ô perfida mors! Aſcanio prius erepto Æneam poſtea Patrem rapuiſti, peremiſti Hectorem, Achillem nobis eripuiſti. Afflixiſti in terras crudelis Aquilam Polonam ſupra nubes modo ſecurè volitantem, recidiſti Jovis animoſæ aliti pennas, & omne fulmen ex unguibus ejus recidit, ex quo Sarmaticus Iuppiter Cælo ſuo ceſſit. Qui nuper illam ipſis inſertam nubibus videbat, fulminatrices illius jactus extimeſcebat, nunc afflictam conſpicit, ex quo non habet amplius Principem, cui fulmina miniſtret. Audiverat

Occidens, viderat Meridies, ſenſerat ſeptemtrio, expertus eſt Oriens vim ejus ac robur; nunc ſubditorum exculcatur pedibus, & furioſas rebellium patitur minas. Exurge denuo ULADISLAE, & talem Te præbe nobis, qualem Te præbuiſti dum viveres; cadent hoſtibus animi, & vilis turba Tua vultus majeſtate fundetur. At ſi rurſus in terras dimittendus non es, da ſucceſſorem Imperio dignum, Virtutum Tuarum æmulum, ut nullus in Polonia finis ſit ULADISLAORUM.

DIXI.

[illegible]

mori: Ascanio prius erepto, [illegible]
Patrem eripuisti, perenasti Hesperum, A-
dulcem nobis sidere [illegible] Adduxisti in terras
crudelis Aquilam Polonam supra nubes mun-
do [illegible] volitans [illegible] illi Jovis armo-
[illegible] pennas, [illegible] fulmina ex ungui-
bus ejus recidit, [illegible] quo Sarmaticus Juppi-
ter Cœlo suo cessit. Qui nuper illam ip-
sam [illegible] nubibus videbat, fulmina [illegible]
[illegible] extinxerat, nunc [illegible]
conspicit, ex quo non habet amplius [illegible]
[illegible] cui fulmina [illegible] Ad [illegible]

POTENTISSIMO
ET
SERENISSIMO
PRINCIPI.
ULADISLAO IV.
POLONORVM &c. REGI,
CVM
Generosus & Nobilissimus Dominus,
HIERONYMVS GRATVS A MOSCOROW
MOSCORZOVVSKI, EQ: POL:
Publica Oratione in Leidensi Batavorum Academia Majestati ejus parentaret.

ULADISLAVS, lento jam funere raptus,
Hoc hominis, magni cætera Regis habet.

REGI IN VLTIMA CHRISTIANI ORBIS STATIONE
ADVERSVS IMMANISSIMVM EIVS HOSTEM
INVICTO, REGI INCLYTO, VICTORI
ET TRIVMPHATORI AVGVSTO, REGI
SOCIO BELGARVM ET AMICO.
L. M. Q.
MOESTVSQVE
S.
MARCVS ZUERIUS BOXHORNIUS.

Generoso ac Nobilissimo
DOMINO
HIERONYMO GRATO A MOSCOROW
MOSCORZOWSKI,
EQVITI POLONO
CVM
Publica ac Regia Panegyri in Leidensi Batavorum Academia
ULADISLAO Regi suo in pulla veste mærens ac
lugens parentaret.

HIERONYMUM *Sacro vocitant te nomine* GRATUM,
Quod fluat è Sacris Gratia fortè labris:
Et Gratum, Sacrumque sibi te Suada reposcit;
Quippe novis titulis nomen, & omen habes.
Gratus eras nuper Batavis, cum melleus imber
Ante tot insignes depluit ore viros.
Hanc ULADISLAI *laudem cum scripseris, Orbi*
Iam toti, ut Doctus Sarmata, Gratus eris.

ALIVD.
Eidem Nobilissimo Domino.

TAlia si primæ rident crepuscula lucis,
Dicite? Sol pleno lumine quantus erit!

P. J

EPIGRAMMA.

Pallida mors tristi pulsavit compede turres
Magnanimi Regis, qui tenet astra Poli:
Florida Magnifici Generoso pectore virtus
Quod fuit, hîc memorat, quòdque sequetur, amat.

Honoris & Amoris ergò
Scripsit,

NICOLAUS HASIUS
M. & Philos. D.

Aliud EPIGRAMMA.

Qui ULADISLAI *deflebas funera Regis,*
Finiat ut Iusti causa doloris, habes,
Moscorus Augustos cineres, divamque favillam
Dum rigat: effusa mox animavit aqua.
Sic quem Sarmatico rapuit fera Parca Polono,
Reddidit eloquio Moscorus iste suo.

JACOBUS VOGT,
Thorunensis Prussus.

Generoso ac Nobilissimo Domino

HIERONYMO GRATO A MOSCOROW MOSCORZOWSKI,

EQ. POL.

Cum

SERENISSIMO, POTENTISSIMO, INVICTISSIMOQVE

PRINCIPI

ULADISLAO IV.

POLONORUM ET SUECORUM REGI, &c.

DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO

In Leydensi Batav. Academiâ publicè, & summa omnium cum laude ac admiratione parentasset.

FLebilis amissum lugebam Sarmata REGEM;
Quique dolor foderet pectora, justus erat.
Heu! quoties tanti recolo dum PRINCIPIS *acta,*
Lumina sunt lachrymis flumina facta meis,
Currite perpetuæ, dicebam, currite Lymphæ,
Qui fuerit vitæ, sit mihi finis aquæ.
Occidit ah! mediæ qui fregit Cornua Lunæ,
Qui Bizantinos terruit igne lares:
Cui victus positis servivit Tartarus armis,
Et colit auratam quod leve vulgus anum:
Sæpius audaces Moschos qui victor adegit
Dura sub invito mittere colla jugo.

Talibus angorem gemebundo corde fovebam,
Cum dolor Eloquio concidit iste tuo.
Namque ubi de tanto dicentem Principe vidi,
Post mortem, dixi, Rex redivivus erit.
Macte age Magnanimi Patris generosa propago
Fac, vivat scriptis mortuus ISTE *tuis.*
Qui REGEM *prohibet nece ne mergatur acerbâ,*
Hic mage quam prima nobilitate nitet.
Antiquis Tu clarus Avis, sed clarior extas
Quod REGEM *vita das meliore frui*

Hisce gratulari merito
voluit, debuit

SAMUEL BARNER,

Elbingâ Prut.

Ad Generosum

HIERONYMUM MOSCORZOVIUM,

De ipsius Oratione

ULADISLAI IV.

AUGUSTISSIMI REGIS

memoriæ sacrâ.

Magna minans *Moscorovi* pu erilibus annis
Cum fueris, majus quid cupiere boni.
Ipse puer puerum noscens Te, maxima vovi,
Unus Tu laudes assequerêre Trium;

Ut

Ut *Patris* & *Patrui* virtutes, quemque ſequuntur
Et Pater & Patruus, Tu ſequereris *Avum*.
Succedit votis Spes pubeſcentibus annis,
Quin properas annos tu ſuperare tuos.
Lugdunum ſtupuit generoſæ verba loquelæ
Nec Lugdunenſis terruit ara vocem;
Dum *Magnum* celebras *Regem*, vitamque triumphis
Auguſtam, mœſtos atque doles obitus.
Pacis verba potes verſare in verbera belli,
Fulmina quin mœſtis vertere fluminibus.
Muſæ, fræna theatri Te moderante, fatentur;
Rex & habet Rhetor, quem ſuperare velit,
Rex VLADISLAVM Regem, TE Rhetora Rhetor:
Æmulus hic fiat Regis, & iſte Tuus.

C. C. S.